

Sammelbd.!

- Dissertationes et Tractatus
in hoc volumine. Extantes
- 1) De feudo in officio quae sibi Præf. d. Jo. Götz
Bauer Petr. Gottlob August Jeniche,
Lipscie abita.
 - 2) De servitio domus Austriae Praefi-
cientis Praetorialis iuribus ac privilegiis pra-
cipuis. Et in parte de August. hinc demul-
tudinio provinciali caesareo Sieveriae Præf.
Gabriel Schwedt. Repp: Joseph Anton Maria Bel-
gulinus abita. Repp: Joseph Anton Maria Bel-
 - 3) De Austriae Imperatoris Archicancellario.
Præf: Joh. Wilh. Walisch natus. Repp: Georg Frider. deci-
m. Tann Hartmutzi habita.
 - 4) De cura aetatis. Repp: Sieveriae mino-
rensis calinita Præf. d. Joh. Wilh. Dixcker
Repp: Joh. Ulrich Auerbach.
 - 5) De statu donacionum inter virum et uxorem,
d. Just Heinr. Bochmer Repp: Joh. Fr. Stockmaier
 - 6) De donacionibus inter sorores saxonicas. monosacra-
reditum invallis Præf. Joh. Götz. Daner. Repp: Melchor. Franc. Conrad
 - 7) De chartis usufruicariis saxonis
Pr. Götz: Barth. Repp: Götz: Culber.
 - 8) De conditionum causa et potestate Præf.
Friedrich Bartholdi Repp: Michaelis Korn
 - 9) De Appellatione in admisibili Præf.
d. Joh. Wilh. Dixcker Repp: Benjamin Fried-
 - 10) Schreiber
10) De depositione Coniugum malitiosa Præf.
Johannes Szyk. Repp: Johannes Moritzoff
 - 11) De non existente letalitate vulneris Præf.
Johannes Szyk. Repp: Albertus Ehrentz. Ulrich

- 12) De criminis abortus. Pj: Joh: Philipp: Neeroy: V: fa Paul Kng.
 13) De Recusione librorum justitia. fo: Robtius Turonius
 14) De Tortura ex fortio & fiamoly proscriptio.
 15) De homicidio a pluribus scismatico Brag: Bek: Schles.
 16) De repetitione tormentorum confessi infianti
 17) De constitutio S: forma iudiciorum
 18) De criminalium solennium. Von Inq
 19) De torturis & quaestioib. Von die Martas v. Paul
 20) De furtu a poenit. Caequi imunit. Von
 21) Discret: ad legem Romaneja des Paediatric. Von
 22) De Mord und das Justizvollst. Bras: Otho
 23) Drackenbrock: Resp: V: v. de Meiste.
 24) De furib. a poenit. Caequi imunit. Von
 25) De refectione actionum adovato. ob fidei omissio
 26) De furo periculoso von geistl griff.
 27) De Torturam ex. Repr: Sigm: Gottlieb Heller: S:
 28) De Conuncione intidenre Prof: fo: Fr: Käffer Rep: Wilh: Elias
 29) De ce que justum est circa febro in primis feriis.
 30) De Balchaf Gabes. fo: Georg X: Jan Gelau: P: A: Jan Goff: Lange
 31) De Juri electione fo: Georg X: Jan Gelau: P: A: Jan Goff: Lange
 32) De Regnum suum in meum et ut concordem. Ite ob pson
 33) De fidei proscriptio ex officio. fo: Just: Henr: Boerner
 34) Q: Georg Henr: Wurzel

38 *28*
DISSERTATIO IVRIDICA
DE
COMMVNIONE
INCIDENTE,

QVAM,
SVB
PRAESIDIO
IO. FRIDERICI Kaysers/
I. V. D. ET P. P. EXTR.

IN
ALMA LUDOVICIANA,
PVBLICO OPPONENTIVM EXAMINI
SVBMITTIT

AVTOR ET RESPONDENS
WILHELM ELIAS Schmol/
DICTVS Eysenwerth/
DARMSTATTINVS,
AD DIEM
XVII AVGVSTI a/o 1700 XIX.

GISSAE,
TYPIS IOANNIS MULLERI.



ILLVSTRISSIMIS
ATQVE
EXCELLENTISSIMIS DOMINIS,

DOMINO
ERNESTO DE SCHWAR-
ZERN,
ET
DOMINO
CHRIST. EBERHARDO
KAMEITSKY
AB ELSTIBORS, TOPARCHAE
HEREDITARIO IN RICKINGEN,

SERENISSIMI PRINCIPIS
HASSO-DARMSTATTINI
CONSLIARIIS STATVS
INTIMIS,



*HEROVVM TOGATORVM PARI,
MVSARVM PROTECTORIBVS,
MAGNIS MAECENATIBVS,
PERENNEM FELICITATEM,
IN SVMMO DIGNITATIS CVLMINE
SPLENDORIS INCREMENTVM,
CONSILIORM
QVAE RATIO TEMPORVM MODERATVR ET REGIT
LAETOS EVENTVS,
ET POSSESSIONEM
PARTAE PER VIRTVTES GLORIAE
SECVRAM PRECATVR,
SIMVLQVE
HAS AETATIS ACADEMICAE PRIMITIAS
IN DEVOTAE MENTIS TESSERAM
HVMILLIMO CVLTV OFFERT
AVTOR ET RESPONDENS.*



DISSE^TRAT^O IVRIDICA
DE
COMMVNIONE INCIDENTE.

§. I.

C OMMVNIONIS quidem vox non solum de domi- maria vocis acceptio.
nio praedicatur, sed & de aliis iuribus in re. Ita
dicitur communio possessionis *L. fin. pr. C. de bon.
autor. iud. possid. B. Dn. STRYK. Dissert. de Composi-*
*tione. communio v̄susfructus L. 16. pr. ff. fam. her-
cise. communio lucri & damni L. 67. in f. ff. pro socio. com-
munio seruitutis L. 19. ff. s̄ seru. vindic. L. 13. §. 3. ff. de v̄sufra-
ctu & tot. tit. de v̄sufra. accresc. L. 19. ff. de S. R. P. communio
pignoris & hypothecae L. 16. §. 8. L. 10 ff. de Pignor. L. 11. &
14. ff. de distract. pignor. BACHOV. Tractat. de pignor. L. 3. c. 3.
Quia communio criminis dicitur in L. 40. C. Theod. de haeret.
&c. Sed magis proprie & specialius tamen communio tan-
tum dominii est. Vnde duo demum requisita hanc commu-
nionem constituunt, 1) vt ipsum dominium sit communicatum,
2) vt partes communicatae sint indiuisae, seu pro in-
diuiso communes; nam, si diuisae sint eadem & separatim
tractari possint, communio haud est. L. 6. §. 2. ff. Commun.
diuid. PVFENDORF L. 4. de I. N. & G. c. 4. §. 2. in fin.*

§. II. Haec ipsa communio dominii in negatiuam & Communio-
positiuam dispesci solet, quae diuisio est analogi in sua ana-
logata, vt loquuntur Dialectici. Negatiua enim quae dict-
tur, negatiuam

A

tur, communio proprie non est, quia praecipuo iure rem non afficit, cum facultate excludendi alios, sed supponit, rem esse dominio & proprietate vacuam aut nullius, vnde promiscua oritur occupandi facultas, ex praecepto Iuris naturalis generali: ut quemcunque aequo nobilem iure frui patiamur, vbi peculiare nobis ius non est quae situm.

Exposituum.

Eius definitio.

§. III. Communio autem positiva, quae & Condominium vocatur, est ius duorum pluriumue in eadem re pro partibus indivisiis competens, ad communicandos veri dominii effectus, & a cendos alios quoscunque.

Vtra obtinuerit ante introducta rerum dominia controverserunt.

§. IV. De origine communionis anceps est inter Doctores Iuris naturalis disceptatio, vtra ab humani generis ortu & ante distinctas rerum proprietates obtinuerit? GROTIUS sane, Moralista quosdam & veterum Poetarum commentaria hoc fecutus, L. 2. de I. B. & P. c. 2. ab init. veram & positinam communionem obtinuisse statuit, cui tamen contradixere Commentatores plerique. PVFENDORFIVS autem ab initio omnia tantum negatiue communia fuisse contendit, maiori, vt videtur, cum ratione. v. L. 4. de I. N. & G. c. 4. l. 5. & 9. Vtrique tamen se opposuit STRAVCHIVS quondam noster de Imperio maris c. 1. §. 5. & 8. qui ante introducta rerum dominia hominibus tribuit dominium quoddam potentiale. An recte dubito. Etenim, dominium illud potentiale promiscuum occupandi licentiam non restringit, eoque nullius est efficacie, sed supponit res actu nullius esse quoad verum dominium, vnde ipsa nihil aliud est, quam communio negatiua. Igitur nos PVFENDORFII sententiae accedimus. DEVS enim, post primaeuam creationem homini nihil aliud concessisse videtur, quam ius & facultatem dominii acquirendi, quod supponit res actu fuisse nullius. Nec obstat quod de dono terae diuino dicitur Genes. c. 1. §. 26. seqq. id enim actum huma-

Nostra sententia.

nunca

num seu occupationem non excludit, quod vel inde apparet, quia etiam piscium & auium dominum hominem volunt DEVS, quod sane citra occupationem fieri nequit. Apposite Nerua filius ait in L. 1. §. 1. ff. de A. vel A. P. *dominia rerum ex naturali possessione coepisse*, eiusque rei vestigium in his remanere, quae terra, mari, coeloque capiantur, ea namque protinus eorum fieri, qui primi possessionem eorum apprehenderint. Et CICERO L. 1. Offic. Sunt, inquit, priuata nulla natura, sed aut veteri occupatione, ut qui quondam in vacua veneriunt, aut bello, lege, pactione, conditione, sorte &c.

§. V. Sed de communione illa negatiua nunc non attinet dicere. Vera autem & positiva, quam §. III. definita Communio positiva fit uimus, communio introducitur variis modis: Et primo quidem tractatu habito, seu ex praecedente *mutuo consensu*, eoque vel *expresso* seu verbis declarato, v. gr. qui pariter eandem rem emerunt, cum vel sine societate. L. 31. ff. pro socio. Nam qui communiter eandem rem emunt, ex consentiu non possunt non esse in communione, ast non semper sunt in societate, quia saepe sine animo contrahendae societatis rem pariter sibi comparant. Ex animo autem & intentione actus agentium sunt diadicandi. Hinc VLPIANVS ICTVS in L. 33. ff. pro socio, qui nolunt, inquit, inter se contendere, solent per nuncium emere in commune, quod a societate longe remotum est. ex qua lege intelligendus est & cum L. alleg. 31. conciliandus CAIVS in L. 2 ff. Commun. diuid. conf. STRVV. Ex. 22. th. 22. BRVNNEM ad L. 2. pro socio n. 1. 2. Vel fit tacito consensu seu factis declarato, vnde communio tacita; si vero factum ita sit comparatum, ut ex eo animus contrahendae societatis colligatur, tum societas facto constituta oritur, quam peculiari Dissertatione executus est B. Dn. Cancellarius noster HER- TIVS, quæ exhibetur in Opusc. Tom. III.

*Communio
positiva in
condomi-
nium priua-
tum & ter-
ritoriale
abit.*

§. VI. Vtraque communio tam expressa quam tacita iterum in condominium priuatum & territoriale dispescitur. Illud inter priuatos obtinet priuatum patrimonium communiter possidentes: Hoc vero est Ius summorum Imperantium vel Principum, imperium ciuile alicuius reipubl. aut territorii dominium in totum vel pro parte communiter administrantium. v. FROMMANN in pecul. Dissert. de Condominio territoriali. B. Dn. HERTIVS noster Dissert. de Special. R. G. I. Rebuspubl. scđ. 2. §. 27. idemque L. II. Paroem. 4. B. Dn. Assessor LAVTERBACH Dissert. de Condominio territoriali. & Io. Christoph. DONAVER Dissert. de Iurisdictione communis, sive de condominio iurisdictionali, habita Aldorfii 1698. vbi exempla illustria reperiuntur, quibus nos adiucimus aliud, famosum sane, & motibus bellicis subinde caufam praebens, quod in Holsatia & Ducatu Slesuici inter Daniae Regem & Ducem Holsatiae Gottorpensem obtinet, vi pactorum de anno 1623. & 1653, ac nomine unionis & communionis communiter venire solet. Vi huius, praefectureae quidem utriusque Ducatus ita diuisae sunt inter Regem & Ducem, vt suos quisque redditus ex iis sine impedimento capere, politiae florem & decus in illis tueri, ac inferioris iurisdictionis gradus exercere possit. Superior tamen iurisdiction & omne, quod perceptio- nem reddituum non impedit, vt Praefati, Caenobia & Nobiles, qui perpetuum quasi concordiae & coniunctionis Serenissimorum Regentium vinculum constituant, in communione manent. Quam in rem auspiciis Friderici II. Regis & Adolphi Ducis commune iudicium prouinciale anniversarium constitutum, homagium utriusque Principum regentium praestatur simul, & quotiens successio ab alterutra parte devoluitur, utriusque autoritate diploma homagiale publicatur. Ceterum suprema Ducis potestas, & summa Maiestatis iura in saluo manent, nec ad ea communio se extendit.

quod

quod maxime ante & post tractatus Altemauienſes ventila-
tum fuisse conſtat.

§. VII. Deinde citra praecedentem conſensum na- Communio
ſetur communio quaedam ex re ipſa, vti dicitur in L. 25. poſtitua na-
ſ. 16. ff. fam. hercife. L. 32 ff. pro ſocio, in quam incidimus L. 31. ſitut 2) fine
ff. pro ſocio, quia non deſtinato ex conſilio in eam procedi- conſenſu, ea-
tur. Vnde recte communio incidentis vocatur. que incidentis
dicitur.

§. VIII. Communio abuſue etiam ſocietatem deno- Communio
tare poſteſt, vti in L. 19. & L. 34 ff. de ſeru. ruf. ſocii dicuntur incidentis dif-
communium praediorum domini. add. L. 23. ff. Commun. diuid. fert a ſocie-
L. 27. d. t. L. 2. Commun. utr. iud. Et noſtra quoque commu- tate.
ni oēdem loquendi genere a Doctoribus ſocietas incidentis vo-
cari ſueuit CVIACIVS L. X obf. 25. MEVIVS ad Ius Lubec.
L. 3. tit. 13. n. 3 seqq. B. Cancellarius noſter HERTIVS Differt.
de Societat. factō contracta f. 1. §. vlt. Proprie tamē ſocietas
non eſt, & a ſocietate quoque expressis verbis diſtinguitur in
L. 23. ff. de R. I.

§. IX. Differt enim a ſocietate 1) quod in omni ſocie- Differentia
ta requiratur praecedens tractatus ſeu conſensus, expreſſus vel tacitus; vnde etiam voluntaria & conuentionalis non-
nullis dicitur. Communio vero incidentis fit abſque noſtro
Conſenſu & ex ſola re naſcitur, vnde neceſſaria, fortuita & inuolu-
taria nonnullis audit CVIACIVS L. X Obf. 25. BRVNNEM. ad
L. 25. §. 16. ff. fam. hercife. n. 29. idemque ad L. 19. n. 4. & 5. C. fam.
hercife. quamuis ex poſtfacto, accedente nimirum conſenſu &
animō contrahendae ſocietatis, facile ſocietas fieri poſſit. L. 52.
§. 6 ff pro ſocio. 2) In ſocietate res communicantur, vel ad uſum Differenſia
tantum, vel etiam ad proprietatem ſeu dominium, vbi interſecunda
ſe diſſentient Doctores, utrum ex natura negotii in dubio
ſit praefumendum. LAVTERBACH ad Tit. ff. pro ſocio & ibi
allegati B. Dn. Cancellarius noſter Differt. de Conuent. dom. trans-
latiis §. 6. a quibus diſſentit SCHILTERVS Ex. 29. §. 4. seqq.

*Differentia
tertia.*

Communio autem incidens est species dominii, quod semper ipsam rei proprietatem afficit, vnde res quoad dominium ipsum communieatae censentur. Ex quo & illa pendet differentia 3) quod condominus nunquam rem communem totam alienare aut in eadem aliis ius reale ac prioritatis constituere possit, vti infra ex professo demonstrabitur: At in societate, vbi res tantum quoad fructus seu vsum communicata, is qui ipsius rei sibi dominium reseruavit, eam totam, sine socii consensu alienare, aut aliis ius prioritatis in eadem constituere potest. SCHILTER Ex. 29. §. 6. in not.

*Deciditur
quaestio
praeindividua-*
lia.

§. X. Hic tamen decidenda primum quaestio praeindividialis: *An societas possit esse absque communione dominii.* Eam nonnulli negant, qui existimant, societati semper inesse communionem propriæ sic dictam, quamvis haec possit esse absque societate propter L. 1. §. 1. & L. 52. ff. pro socio. HVNNIUS L. III. Resolut. Tr. 7. P. 3. qu. 12. At enim vero, cum societas quoad vsum & fructuum communicationem constituta, sit negotium per se subsistens L. 13. §. 1. ff. præscript. verb. patet, non in omni societate inesse propriam communionem dominii, quia negotia humana formam & substantiam capiunt a voluntate agentium. L. 34. de R. I. Nec in eo nobis refragatur L. 7. §. 1. pro socio, ea enim non generaliter loquitur, sed in specie de societate omnium bonorum, quae speciali quodam iure res ipsas, qua dominium qua possessionem communicat. L. 1. in f. L. 2. ff. pro socio. In L. autem 52. d. tit. Vlpianus quidem respondet actione pro socio aliquem condemnandum fuisse, ad communicandum ipsum fundum, sed nec ibi generaliter loquitur, verum potius ad quaestionem propositam respicit.

*Differentia
quarta.*

§. XI. Societas a communione 4) in eo differt, quod societas contrahatur ad certum aliquem finem, ob lucrum nempe

67(6)

nempe commune: Communio autem incidens, quae abs-
que consensu condominorum nascitur, nullum finem pro-
positum habet. Vnde porro alia differentia oritur 5) So- Differentia
cietati nempe intempestive inuitio socio renunciari nequit, quinta.
at in communione incidente pro lubitu condomini & quo-
cunque tempore ad diuisionem prouocare possunt. 6) Ex Differentia
societate oritur obligatio sociorum mutua & actio persona- sexta.
lis ex contractu: in communione incidente res ipsa condo-
minis deuincta sine obligatione condominorum inter se, haec
enim ex solitaria demum rei communis administratione su-
peruenit. 7) denique communi dividendo iudicio, (quo Differentia
miam ex ipsa re proficiuntur, absque consensu,) pupillus te septima.
netur sine tutoris autoritate, sicut & furiosus *L. furiosus.* 46.
ff. de O. & A. qui non possunt conueniri actione pro socio.
In dubio communio potius praesumitur quam societas.
Praesumimus enim quod minus est; societas quoque con-
tractum presupponit, qui praesumi nequit, sed proban-
dus est. Ex dictis autem facile quoque colligitur, quae sit
differentia inter communione & quasi contractum.

§. XII. Communio incidens multis modis nasci pot- Communio
est, & 1) quidem ex testamento, ut qui communem heredita- incidentia
tem ex testamento possident; vel quibus vna eademque res nascitur
communiter legata *L. 31. ff. pro socio. L. 2. ff. Commun. diuid.*
2) lege, exemplo fratum & sororum communem parentum
hereditatem ab intestato pro indiviso possidentium. Ete-
nim Legibus XII tabularum iam cautum fuerat: NOMINA
INTER HERedes PRO PORTIONIBVS HEREDI-
TARIIS ERCTA CITA SVNTO. CETERARVM
FAMILIAE RERVM ERCTO NON CITO SI VO-
LENT HERedes, ERCTVM CITVM FACIVN-
TO: PRAETOR AD ERCTVM CIENDVM
ARBITROS TRIS DATO. h. e. defuncto credi-
tore,

tore, vel debitore eius heredes pro portionibus hereditatis conuenire & conueniri tantum possunt: ipso iure inter eos obligatio diuiditur. At ceterarum rerum, si volent heredes, diuisionem faciunto: ad eam diuisionem Praetor tres arbitros dato. Ita enim legem hanc ex Festo, Donato, variisque iuris antiqui reliquis restituit IAC. GOTHOFREDVS *Fragm. XII. Tab. V.* & post eum IANVS VINCENTIVS GRAVINA *Orig. Iur. L. II. p. Edit. Neapolit. auctioris 282.* Sensus legis non admodum difficilis est: sed de origine & significacione vocum *ercta* *cita* magna inter Autores diffensio est. SALMASIVS enim *ad Solinum p. 1262.* erctum idem esse putat quod hereditas, simulque reprehendit Tribonianum, quod seculi deceptus barbarie phrasin *familiam herciscere* excogitauerit. STEPHANVS MORINVS *Diff. de Stoicis herciscundis* cum aliis iunctim *edita Dordraci p. 195.* hercium aut erctum putat significare patrimonium diuidendum a Graeco *λεγω* arceo vel *λεγω* includo, quod certis limitibus definitur, & ab alienis seceratur, vniue domino addicatur; quare etiam *εργη* carcer, *εργος* septum quodus: imo Iupiter Hercius, qui aedium septo colebatur, & penetralis dicebatur teste S. Pomp. Festo. IANVS VINCENTIVS GRAVINA *d. l. p. 283.* a veterum voce herctum, quae & forctum dicebatur, & bonum significabat, mutata litera o in e erctum formatum esse autumat, cum quo conferatur DION. GOTHOFREDVS in notis ad Festum voce erctum citumque. Citum autem a ciō descendit, quod est diuido. Ita enim Donatus *ad VIII Aeneid. cire* explicat diuidere, vnde citum dñsūm ex illo Virgilii:

citate Metium in diuersa quadrigae

Distulerant.

Mihi Festi probatur opinio, qui in voce erctum: Erctum, inquit, citumque fit inter confortes, ut in libris Legum Romanarum legitur. Erctum a coercendo dictum, vnde erciscundae & ercisci.

ercisci. Inde IACOBVS GOTHOFREDVS erctum siue coercitum accipit pro indiuiso Net. ad XII. Tab. p. 207. Hinc familiam erctam cire idem erit ac hereditatem integrum & indiuisam diuidere. Et ex illis antiquis & obsoletis vocibus postea nata est phrasis familiam erciscere, quae iam apud CICERONEM de Oratore I, 56. APVLEI. Metam. VI. sub extrem. & FESTVM t.c. occurrit: tantum abest, quod Salmasius voluit, eama Triboniano ex ignorantia fuisse excogitatam.

§. XIII. Communio incidentia nascitur 3) ex donatione, quando vna eademque res duobus pluribusue communiter donata fuit. dd. LL. & L. 34. §. 2. C. de Donat. vbi ad euitandam contentionem, is, qui maiorem partem seu ampliorem sumمام in eadem habet, alteri, qui minorem partem possidet, reliquam aestimationis partem offerre potest: si tamen hoc iure vti nolit, & res commode diuidi nequeat, minorem partem habenti ius offerendi tribuitur d. L. 34. §. 2. ad quam addit BRVNNE M. in Comment. n. 23. nonnullos hunc textum etiam ad res aliis titulis quaeftas extendere. 4) Oritur communio nostra morte eius, qui maximam bonorum partem, vel omnia sua bona quoad dominium in societatem contulerat, eius enim heres in communionem necessariam tantisper incidit. L. 63. §. 8. ff. pro sociis, vbi heres emolumenti & oneris successor dicitur. conf. CVIACIVS L. 10. Obs. 25. 5) facto tertii, eoque vel doloso vel culpo lo vel bona fide interposito 6) facto alterutrius condonatorum citra tamen consensum alterius, eoque iterum vel doloso vel culpo lo vel b.f. interueniente 7) ex mero casu fortuito. Ex tribus vltimis modis vnuquisque producit specificationem, commixtionem confusionem &c. quorundam etiam referas communes fines, seu terminorum confusionem, de qua peculiaribus titulis ff. & C. agitur.

§. XIX. An igitur recte inter species communionis incidentis a nobis referuntur, quas Imperator modis acquirendi

rendi Iuris Gentium accenset §. 25. seqq. I. de R. D. ? specificationem puto, confusionem & commixtionem. Recte id a nobis fieri existimo, quia partes, quae his speciebus fiunt communes, dominis suis iam ante communionem erant acquisitae. Ergo iisdem proprietatis nihil acquiritur, sed res in domino iam existentes tantum ex accidenti communicantur: nam sine consensu dominium rei suae aut operarum impensarum, naturaliter nemo amittit. In hanc sensum GROTIUS L. II. de I. B. & P. c. VII. §. 19. n. 2. si naturalem, inquit, veritatem respicimus, sicut confessus materiis communionem induci pro rata eius, quod quisque habeat, Romanis quoque Ictis placuit, quia res alium exitum naturaliter reperire non poterat; ita cum res constant materia & specie, tanquam suis partibus, se alterius sit materia, alterius species, sequitur naturaliter rem communem fieri pro rata eius, quanti unumquodque est. Species enim pars est substantiae, non substantia tota: quod Ulpianus vidit, cum dixit: mutata forma prope interentam substantiam: add. ZIEGLER & FELDE ad d. Loc. Grotii MAYER in Comment. ad Inst. Quia igitur his speciebus ipsum dominium inest saltim communicatum, inconveniens esse videtur, eas ad modos acquirendi dominii referri; sicut absurdum foret, dominium priuatuum modis acquirendi adscribere. Interim, cum partes communicatae ita heic deprehendantur esse connexae, ut diuidi iterum & separari commode nequeant, respexit forte Imperator ad officium iudicis divisorium, qui aliquando novam illam speciem, aut totum illud corpus confusum aut commixtum alterutri condominorum adiudicat. L. 34. §. 2. C. de donat. quo intuitu is partem alterius, praestita eidem satisfactione, acquirit. Quamuis autem proprie loquendo acquisitione hic non sit ex communione, sed potius a iudice, saltim occasione communionis: nolle tam propterea improbare Tribonianum, nisi haec considerandi ratio Triboniana a iudi incommodum post se traheret.

§. XV.

§. XV. Hinc enim in eo saltim videntur lapsi ICti Romani. 1) quod in his communionis incidentis speciebus magis restrinxerint iudicis arbitrium, quam in aliis quibuscumque iudicis diuisoriis, in quibus alias iudex aequitatem se-
ctatur L. p. m. fin. *Commun. divid.* adeoque ad uniformem diuidendi modum non est adstrictus. At ICti Romani in his modis omnes peraeque calus secundum vniuersalem aliquam regulam diiudicari volebant: quanto certius aequitas ex inspectione singulorum negotiorum & variarum in iis circumstantiarum deprehendebatur. 2) Hinc factum, ut illae ipsae regulae, quas circa specificationem, commixtionem &c. operose inculcabant, omnes ad acquisitionem se referrent, seu rem communem alterutri condominorum praecise adiudicarent, quasi hoc principaliter in questione esset, uter ex duobus condominis debeat lucrari partem alterius. Quid autem si neuter rem communem expeteret, aut res hoc modo commode exitum suum habere non posset? Tunc sane in caeteris iudicis diuisoriis imprimis spectanda voluntas litigantium L. 21. ff. *Commun. divid.* & aequitas sectanda L. pen. in fin. C. d. tit. quam hic supine Iuris-Consulti Romani neglexerunt.

§. XVI. In confusione quidem res dubio caret, quia i-
psae TRIBONIANVS in ea communionem deprehendit §. 27.
In Confusione ne.
I. de R. D. adeoque in diuisione corporis confusi arbitrarium iudici officium relinquunt, eaque omnia hic quoque approbare videtur, quae in aliis iudicis diuisoriis, quo melius res exitum habitura sit, ad Tit. ff. de *Communi diuidendo vel familiæ herciscundæ traduntur.* Sed cur in commixtione rerum a-
ridarum seu solidarum in diversum abit ICtus? In ea enim tione.
VLPIANVM fecutus in L. 5. pr. ff. de R. D. & PAVLVM
L. 23. §. 5. eod. casus distinguit: Si res vtriusque voluntate commixtae sint, communionem agnoscit; sin alterutrius
facto,

facto, aut casu fortuito mixtura contigerit, corpus in com-
 mune esse negat. Sed quae ratio differentiae? Secundum
 ea quae §. 5. huius Dissertationis tradidi, haec diuer-
 sitas casuum non inducit diuersitatem Iuris, sed illud tan-
 tum efficit, ut in priori casu expressa vel tacita, in secundo
 vero, ob consensu expressi vel taciti defectum, communio
 incidentis nascatur. Ergo aliam differentiae rationem a TRI-
 BONIANO expectamus. Eam statim subiungit: quia sin-
 gula corpora, inquit, in sua substantia durant, vnde non ma-
 gis corpus illud commune fieri existimat, quam grex ex tuis
 & Titi pecoribus mixtus. Sane, si ad ea, quae statim §. 1. & 3.
 huius Dissert. de natura communionis in genere diximus, re-
 spiciamus, patebit, hanc rationem prorsus esse extra naturam
 communionis: eaque, quae VINNIVS in Comment. ad Insti-
 tit. de R. D. pro Imperatoris philosophia adferre voluit ar-
 gumenta, inanes sapiunt subtilitates. Sed nec ad commix-
 tionem in specie eam ratiunculam applicari posse, vel inde
 patet, quia alioquin nunquam foret in commixtione com-
 munio; corpora enim arida, quantumvis sursum deorsum,
 etiam expressa voluntate commixta tamen semper in sua sub-
 stantia separatim durant. Ex quo consequitur 1) hanc i-
 psam rationem quidem frustra a Triboniano allegari ad de-
 cisionem causae; quin positis reliquis communionis requisi-
 tis, vera erit in commixtione communio, siue vtriusque vo-
 luntate, siue alterutrius tantum, aut casu fortuito ea facta
 sit. 2) exemplum gregis ex diuersis pecoribus mixti hic pa-
 rum apte in medium proferri: in eo enim non est vera com-
 mixtio, ergo nec communio esse potest; diuersa namque il-
 la pecora separatim discerni, separatim tractari, & sic et-
 iam separatim vindicari poterant, quae omnia fecus sele ha-
 bent in commixtione frumenti.

de eadem.

§. XVII. Quamvis enim in ea etiam singula corpora
in

in sua substantia distincta maneant; sufficit tamen, separationem illorum ciuiliter esse impossibilem, vnde nec separati iterum tractari, nec separatis designari aut vindicari poterunt. *v. L. 6. pr. de R. D.* Quare nil aliud superest, quam ut dicamus, huic commixtioni subesse veram communionem incidentem, & Tribonianum sectari iranes subtilitates, vixque a contradictione defendi posse. Illustr. Dn. T H O M A S I V S in notis ad Inst. Nam quid demum aliud est illa vindicatio, quam Vlpianus de L. 5. pr. de R. V. in hoc casu his verbis concedit: *competit singulis in rem actio in id, in quantum patet, in illo acervo suum cuique fuisse*, quam generalis illa, quae in effectu cum iudicio communii dividendo coincidit. Quod ipsum alii quoque ex L. 78. ff. de solut. probare conantur, vbi Caius, referente IOUALENO, rei vindicationem ei denegat, cuius numi cum alienis ita sunt mixti, vt discerni non possint. Vnde iterum nonnulli, ut contradictionem euitent, in commixtione humorum exceptionem a regula Tribonianea statuunt; alii autem inde coniiciunt, CAIVM in tota hac materia diversa principia sectatum, quae immerito deseruerit Tribonianus. At enim vero, CAIVS in illa lege fundamentum suae decisionis in commixtione qua tali haud videtur collocare, verum potius in consumtione humorum b. f. facta, quae commixtioni inest. Agitur enim de solutione pecuniae alienae, vbi respondet ICtus, si numi isti adhuc extent, nullam esse solutionem, quippe quae rem propriam requirit, ac proinde dominum humorum eos vindicare posse: si vero commixti sint, denegat vindicationem, non propter commixtione ipsam, quod in ea communio esset, eoque cessaret vindicatio specierum, (alias enim aduersus accipientem saltim vindicationem generali seu actionem communii dividendo domino concedere debisset,) sed propter consumtione b. f. factam, quae commixtioni isti regulariter inest. CVIACIVS L. 13. Obs. 28. VIN-

explicatur
L. 78. ff. de
solut.

NIVS in Comment. ad Inst. tit. de R. D. III. Dn. THOMASIVS
in Scholiis ad Huber. Instit. de R. D. hinc aduersus accipientem
nullam tribuit actionem ICtus domino numorum, verum
potius eidem actionem furti concedit aduersus soluentem,
qui sc. dolo malo istos numos attrectauerat. An autem
commixtioni quoque numorum vera insit communio, se-
posita hac l. ex principiis a nobis tradidis facile affirmari po-
terit.

*In specifica-
zione.*

§. XIX. In doctrina de specificatione ad eosdem fere
scopulos impegerunt ICti Romani. Tantum enim abest, eos
in eadem communionem, & ex regulis de communi diui-
dundo inter concurrentes partium dominos exitum quae-
uisce, ut potius pro fundamento iterum acquisitionem sup-
posuerint; quasi iterum principaliter id esset in quaestione,
uter ex condominis partem alterius acquireret. In eo tan-
tum inter Proculianos & Sabinianos dissensum fuit, materiae ne
domino an specicatori noua species tribuenda esset. Sabiniani
enim materiam pro re principali habebant, quam accessoria
noua species seu forma sequeretur, & hinc rem specificatam
assignabant domino materiae. Proculiani contra, formam
tanquam rem principalem considerabant, cum ex ea diudi-
canda sit essentia rei, & dominium tribuebant ei, qui rei de-
derat formam. Vtebantur etiam alia regula, pro principali
esse habendum, sine quo altera res esse non possit; sed cum
eam in favorem suae sententiae vtraque pars facie torquere
posset, & sic inextricabilis fieret rei specificatae evolutio &
divisio, Tribonianus §. 25. I. de R. D. distinctione adhibita
controversiam definiuit, vtrum sc. noua species ad priorem
& rudem materiam reduci posset, an secus: Priori in casu
dominium materiae praferendum dicit, posteriori specifica-
torem. An feliciori cum successu dubito: in plurimis enim ca-
sibus v. gr. si ex alieno metallo conficiatur opus artificiale,

vt

ut horologium vel instrumentum mathematicum &c. maxime iniqua foret haec decisio, quia facilius metallum quam opera artificis hic aestimari potest, ex qua ratione etiam Commentatorum plurimi Tribonianum notant & deserunt. Vnde nihil aliud supereft, quam ut cum PVFENDORFIO L. 4. de I. N. & G. c. 7. §. 10. GROTIO & aliis supra allegatis afferamus specificationi inesse communionem. In eo saltim specificatio differt a confusione & commixtione, quod in his modis ab utraque parte res fungibles communicentur, vnde liberius etiam iudicis officium erit, cuinam condoniorum corpus confusum & commixtum adiudicare velit, si res aliquam exitum inuenire nequeat; at in specificatione res fungibilis communicatur cum re non fungibili seu opera artificis, vnde in iudicio diuisorio restrictius erit iudicis arbitrium, sic ut noua species plerumque specificatori sit addicenda, quia materia plerumque est res fungibilis Ill. Dn. THOMASIVS *Dissert. de precio affect. in res fungib. non cadente cap. 3. §. 41, 42, 43.*

¶. XIX. Sed nec hoc tamē vniuersale est. Nam si quis ex vuis, oliuis aut frumento meo, vinum, oleum aut panem, ex meo melle & vino mulsum confecerit; cur iste potius habeat ius ad hasce species, quam ego, ideo tantum, quod eas confecerit? Ergo recurrentum est ad communionem & regulas in diuisione rei communis receptas, Id enim proprie hic disceptatur, non, an cuius est pars maior, debeat lucrari partem minorem; sed quae via sit in eunda negotii expediendi, si duo ad dominium vnius rei concurrant, quam neque diuidere, neque communiter habere possunt, aut volunt. PVFENDORF. d. l. §. 10. Non fore difficile hanc materiam vltterius illustrare exemplo adiunctionis, texturee, ferruminationis, adplumbaturae, in quibus omnibus I^{CT}i Romani iterum a vero fundamento alieni

meni in diuersas partes discesserunt: sed ne terminos praescriptae nobis breuitatis excedamus, iis nunc superedere maluimus, imprimis, cum ex hactenus dictis de his etiam facile iudicium fieri possit.

*Effectus
communio-
nis inciden-
tis*

*respectu ter-
tii.*

§. XX. Diximus communionem incidentem esse speciem condominii. Ergo qui in tali communione constitutus est, omnes effectus veri dominii exercet, modo legitime fuerit probata communio: ea enim non presumitur, quia est facti, nisi sit notoria, cum notorium omnibus probationibus efficacius sit. MASCARD de probat. Vol. 2. concl. 1108. n. 1. seq. PACIAN. de probat. L. 1. c. 11. n. 45. In exercitio tamen quam plurimum effectuum incidens communio in societatem degenerat. Interim *Effectus* quoque eius vel considerari possunt *respectu tertii*, vbi, si condominorum unus vel uterque a tertio turbetur, ille vel uterque se omni modo per remedia iuris in possessione sua tueri potest. Et quamvis regulariter improbatum est, sine iudice & priuata autoritate sibi operam ferre, ac propterea facultas pignorandi iure Rom. inter prohibita recenseatur L. Quintus Matius 39. §. 1. ff. ad L. Aquil. Moribus tamen Germaniae illa fere vbius inualuit v. MEVIVS P. 1. Dec. 136. n. 1. vnde priuato libertatem fundi sui pignoratione & arrestis defendere licet, per ea quae tradit CARPZOV. P. 2. C. 27. def. 3. n. 4. Ex quo & illud sequitur, etiam condominis hanc facultatem competere. An vero consultum sit, semper & vbiique hoc remedio vti, imprimis vbi cum potentioribus nobis res sit, alia quaestio est, quae non est huius loci. Quodsi violenta aut dolosa contrectatione communis res a tertio ablata vel metu excussa fuerit, dubium haud est, quin condominis actio quoque furti, de vi bonorum raptorum, vel quod metus causa competit: quorum referendus ve-
zatus casus, qui proponitur in L. 31. ff. Zecat. Conduct. Quae-
rit

rit in ea ALFENVS ICtus , si plures mercatores communne frumentum in vnam nauem consulto an ex accidenti confudissent , & ita confusum nautae tradidissent vehendum ; hic vero vni ex mercatoribus , inconsultis reliquis , restituit ex communi aceruo tot modios , quot dederat ; postea naufragio collisa nauis cum reliquo onere perierat : An non reliqui mercatores cum nauta onoris auersi actione experiri possint ? Erat autem introducta haec actio aduersus nautas , qui onus vehendum conduxerant , sed alio auerterant aut surripuerant . ICtus ad propositam quaestione directe non respondet , sed per remotionem , aut enim , ait , in hoc locationis genere id actum , vt non idem sed tantundem a nauta restitueretur , quae irregularis est locatio & dominium transfert in conductorem FRANCTZK ad Tit . Locat . Conduct . n . 28 . & tunc respondet , recte datum a nauta , h.e. cessare actionem onoris auersi , quia reliqui actione ex contractu suum a nauta repetere possunt , quippe qui in hoc locationis genere periculum rei in se suscepit . v . L . 4 . C . Locat . L . 23 . de R . I . C ARPZOV . P . 2 . c . 37 . def . 21 . Sed de hoc casu principaliter non quaerebatur . Hinc pergit ICtus , aut frumentum naui impositum separatim tabulis sive heronibus , i.e. locis ad recipienda fruges aptis , vt cum TVRNEBO explicat REINOLDVS KVRICKE Tr . de Jure maritim . Hanseat . qu . 33 . suum cuiusque distinctum & separatum fuit : quo casu , si suum cuique etiamnum distinctum nauta reddiderat , respondet , nautam onoris auersi actione non teneri , quia vero domino nihil quicquam auertit aut distractit . Quod tamen secus sit , si alienum frumentum reddidisset , tum enim non solum istam actionem locum inuenire , verum etiam domino vindicationem sui frumenti esse concedendam . Sed nec hic casus proprie in quaestione erat , nam sic frumentum permixtione nequidem confusum nedum aceruuus com-

munis factus fuit. Quid ergo, si, quod principaliter in quaestione erat, per commixtionem commune factum fuerit frumentum, nec locatio irregularis contracta sit? Sane sola confusione nauta dominus frumenti effectus haud est, nisi hoc specialiter actum. Unde hoc quoque casu ex mente ipsius ALFENI ICti & totius iuris analogia oneris auctoritatis aduersus nautam habebit locum, quia cui res communis qua communis custodia fuit concedita, partem diuisans vni, inconsultis reliquis, reddere nequit.

*Inter ipsos
condominos,
ique vel
communis.*

*& consistit
1.) in com-
muni aliena-
tione.*

§. XXI. Effectus autem communionis incidentis inter ipsos condominos vel communis est, quo spectat 1) quod neuter sine alterius consensu quicquam de tota re communis, aut de parte eius disiisa disponere possit. L. 27. §. 1. in f. ff. de P. P. V. L. un. C. si commun. res pign. data sit. L. 28. ff. Commun. diuid. cap. 50. de R. I. in. 6. dominium enim rei communis qua communis apud quem cunque condominorum pro indiviso est, eiusque exercitium condominis competit, ut vniuersis, coniunctim, simul & complexiuē. Hinc rem communem totam pignori supponunt, non singuli, sed omnes coniunctim L. un. C. si commun. res pign. data sit, ibique BRVNNEM. in Commentario & IVL. PACCIVS in Analyse. omnes eandem vendunt. L. 68. ff. pro socio. L. 1. & 2. C. de commun. ver. alienat. ibique BRVNNEM. in Commentario. omnes eandem locant. THESAVRVS Dec. 41. FROMMAN. Dissert. de Condōminiū. §. 41. STRVV. Decis. Sabb. C. 11. Dec. 8. quamvis si consensus condominorum ad locacionem aut oppignorationem rei communis accesserit, communio incidentis nunc alteretur, & in contractum societatis factō contractae reflectatur, ut in simili exemplo obseruat FRANTZKIVS Comment. ad tit. ff. pro socio n. 29. & post eum B. Dn. Cancellarius noster HERTIVS Diss. de societar. fact. contract. f. 1. §. 6. Ceterum si condominorum unus rem to-

CAG

tam alienauerit; alienatio ista quidem tenet pro parte indi-
uisa; quae ad venditorem spectat; pro altera vero parte
est nulla; nec traditio nocet socio **L. 4. C. de Commun.** rer. pro alterius
alienat. idcirco is partem suam ab emtore, cui tradita fuit, <sup>unius enim
alienatio rei
communis
parte inusuli-
da est.</sup>
recte vindicat. **L. 1. C. d. 1.** ibique **BRVNNEM.** in *Comment.*
emotor autem de euictione agit contra venditorem **L. ult. C.**
d. 1. nisi emotor rem vsucceperit **d. L. 1.** vel fiseus rem vendi-
derit **L. 2.** **C. d. tit.** & **L. uc.** de vendit. rer. fiscal. Illo tamen
casu potest condominus, quasi ratam habendo venditionem,
precium suae partis per vtilem **N. G.** actionem a venditore
socio petere. **l. ult. ff. N. G.** vel actione communi diuidundo
Brunnem. ad **L. 1. C. de Commun.** rer. alienat.

§. XXII. II) Huic consequens est, vt si alteruter in ^{quin 2)} alter altere
communi qua communi aut parte eius diuisa quicquam
priuative nec communi consensu agere praesumferit, alter ^{rum quic-}
eum prohibere possit. **L. 27. §. 1. ff. de S. P. U. L. 28. ff. Com-**
mun. diuid. per implorationem officii iudicis **L. 3. §. 1. & 2. ff.** <sup>communi
priuative
agentem pro-
bibere potest.</sup>
de N. O. N. actum impedire noui operis nunciatione **d. 1.**
STRVV. **Ex. 39. tb. 3. in f.** aut aliis quoque remediis vti
possit, v. gr. actione quod metus causa, vel de vi bonorum
raptorum. III.) Huc & illud spectat, vt in commune ^{3) in com-}
mnibus profuturum, communi etiam labore curetur, ^{muni refe-}
in simili re loquuntur Imperatores **HONORIVS & THEO-**
DOS. **L. 49. C. Theod.** de oper. publ. vnde communis rei refe-
ctio communes etiam sumtus requirit **L. 4. C. de aedif. priu.**
Et si vnum communes sumtus fecerit, eos pro rata repetit
iudicio communi diuidundo **L. 4. in f. ff. Commun.** diuid. **L. 15.**
§. 18. ff. de damn. infest. Plane, si condominorum vnum do-
mum communem ruinosam negligat, eamque sartam te-
ctam conseruare nolit, ad alterum eandem reficientem iure
domini illa transfertur, nisi socius intra quadrimestre tem-
pus sumptus pro rata restituerit **L. 52. §. 10. ff. pro socio &**

<sup>Qui dominus
communem
ruinosam so-
lus reficit,
eam privati-
ue acquirit.</sup>

L. 4. C. de aedif. priuat. add. L. 46. ff. de damn. infect. BRVN-NEM. in Comment. ad L. 52. & 4. IVLIVS PACIVS in Analyti Cod. tit. de aedif. priv. n. 7. Refectio enim ex natura negotii necessaria erat, & reipubl. intererat aedificia non deformari L. Praetor ait 20. §. hoc interdictum 10. ff. de N. O. N. L. ad Curatoris 46. ff. de damn. infect. GAIL. de pignorat. Obs. idem obtinet 20. n. 5. Eodem modo & illud recepti iuris est, ut si quis in lite contem communem suis impensis tractet, consors autem immune, quam pensas pro rata refundere recuset, illi quoque, qui in lite perseuerauit, sicuti vicerit, id quod in lite est, in solidum iure dominii vindicetur BERLICH P. 2. Dec. 194. quia in re communi vnius negligentia alteri fraudi aut detimento esse non debet. L. 11. ff. de S. P. R. L. 2. & ult. C. quib. res iud. non noc.

Hinc pend
ent que
stiones:
Prima

§. XXIII. Hinc pendent aliae quaestiones, quarum prima est: An, si condomini ultra dimidium in venditione rei communis laesi fuerint, vni saltim ex illis, altero cef- sante, remedium L. 2. C. de Rescind. Vend competit?

Quae ex allegata ratione iterum affirmanda, in re enim vel actione communi, alteri per alterum iniquam conditionem inserre non licet L. 74. de R. I. L. 27. §. 4. in f. ff. de Pact. nec vnius repudatio condomino vel socio in sua parte no- cere potest L. un ibique Doctores C. quand. non pet. part. pet. accresc. quin huic vni non pro rata sed in totum, etiam quoad reliquorum partes remedium L. 2. indulgendum, et iam si ius accrescendi inter condominos regulariter locum non habeat; actiones enim individuae sunt, & si vnum vel alterum renunciet vel ab ea desistat, eius saltim portio reliquis accrescit BERLICH. Decis. n. 9, 10, 11. ubi in fine etiam pra- iudicium scabinatus Lipsiensis annexit: Habt ihr neben eus
ren Geschwister und Mit-Erben G. N. ein Gut / neben
etlichen

etlichen Ackern / Wiesen und Gehölz / so ihr von eures Vatters Brüdern ererbet / umb / und vor 875. Gulden verkauft / in welchem Rauff ihr / als die ihr weit entseßsen / und der Güter nicht kundig gewesen / über die Helfste verlebt zu seyn vermeint. Ob nun wol euer Mit-Erben mit Euch nicht umbretten / noch sich dieser action anmassen wollen / so mögen sie euch doch darmit nicht praeiudiciren / sondern ihr seyd dieselbe wieder obbenandten G. N. vor euch allein auszuüben / wol besugt. V.R.W.

G. XXIV. Altera quaestio est: *Sires communis communis consensu vendita sit cum pacto de retrouendendo, si ceteri retrouendere vel nolint, vel ob inopiam non possint, rem alienatam solus reluere posit?* Quam itidem ex iisdem fere rationibus affirmamus, si retrouendere volens totum pre- cium offerat cum impensis in utilitatem rei veheditae factis v. CARPZ. P. 2. C. 1. def. 24. & 27. & cautionem quoque offerat, de retrouendendo partem socio, si is imposterum eam redimere velit CARPZ. d. 1. def. 11. Nam si condominus pro sua portione tantum, ac ita non totam rem venditam reluere velit, emtor partem istam retrouendere non tenetur CARPZOV. P. II. C. 1. def. 11. STRVV. Ex. 23. th. 44. Nec obiucere priori casu emtor potest, quod facultas reluendi, non condominorum vni, sed omnibus simul competit, nam 1) haec exceptio est de iure tertii, quae excipientem non re- leuat. L. 4. §. 7. ff. si serv. vind. ibique Doctores L. 8. §. 1. v. fin vero nullam C. de Praescript. 20. vel 40. annor. NATTA Consil. 419. Decis. 4. pr. 2) alteri condomino ius manet integrum a reluente recuperare suam partem restituta pretii portione L. 25. §. 10. ff. fam. hereso. L. 2. §. 2. v. s. sed quo casu de V. O. 3) Per pactum relutionis initio contractus interpositum ipse

emtor primario ad rem restituendam obligatus est L. 2. & 7.
C. de paet. inter emt. & vendit. ac illius nihil interest, an omnes
 socii, an unus rem reluat, sufficit ipsi refundi premium.
 4) Ex contraria sententia sequeretur, per negligentiam, con-
 tumaciam vel etiam inopiam ceterorum huic inuitio damnum
 accrescere, qui in iure suo persequendo diligentior est, quod
 per iura fieri nequit. conf. ANT. FABER Cod. Sabaud. L. 3.
 tit. 25. def. 9. Ita autem non habet emtor de quo possit conqueri,
 qui non modo propter satisfactionem praestitam tutus est ab
 altero socio, sed & totum rei venditae premium recipit.
CARPZ. d. P. II. C. 1. def. 11.

*Effectus
particularis.*

L.

§. XXV. Effectus communionis incidentis parti-
 cularis in eo consistit, I) ut sociorum vni non minus quam
 alteri re communi vti liceat L. si ac des ff. commun. diuid L. 52.
 §. item Mela pro socio. GROTIUS. L. 2. de I. B. & P. c. 10. §. 1.
 n. 2. PVFENDORF. L. 4. de I. N. & G. c. 4. §. 2. circa fin. IO.
 VINCENT. HONDED. Conf. 80. n. 33. B. Dn. HERTIVS. de
 Special. R. G. I. Rebuspubl. sect. 2. §. 27. Vnus non minus quam
 alter fructus lucratur, statim a tempore quo coepit com-
 munio, idque ipso iure §. 19. I. de R. D. FRANCISC. PFEIL
 Conf. 58. n. 8. Vnde duobus condoninis filiam caeduam pro
 indiuiso possidentibus, alter eorum ligna pro sua parte, in-
 uitio quoque socio, caedere potest. L. vtique autem 16. §. cul-
 pa 1. ff. de R. V. L. arboribus 12. §. nouis 1. ff. de usufr. PFEIL
 Conf. 58. n. 7. GAILIVS de Pignor. obs. 20. n. 9. Alter au-
 tem utilitatem intercipere aut usum prohibere nequit. L. 12.
 ff. commun. diuid. L. si aedes ff. commun. diuid. Ex quo &
 illud sequitur, si duo fratres, aut socii communem domum
 habeant, eamque pro indiuiso possideant, alter autem eo-
 rum hanc domum solus inhabitet, quod is fratri pensionem
 praestare non teneatur. v. GAIL. de Pignorat. obs. 20. n. 10.
 In nullo autem condoninus alterius conditionem deterio-
 rem

rem reddere potest, quin in iis omnibus quae vsum & utilitatem non respiciunt, aut ex natura negotii necessaria haud sunt, durante communione nemo quicquam facere potest inuito altero, quia in re pari potior est causa prohibentis, *L. 28 ff. Commun. diuid. L. 11 ff. de S.P.R.*

§. XXVI. Ulterius ex condominio fluit, quemlibet ^{Effectus} _{particularis} de parte sua indiuisa pro lubitu posse disponere eamque alie-
nare *L. 1, 2, 3. C. Commun. diuid. L. 13. §. 17 ff. de act. ent. L. 68.*
pro socio. L. ante 16. C. de Iur. dot. L. portionem 12. C. de donat.
STRVV. *Exerc. 23. tb. 26. circa fin. etiam si alter iam ad diui-*
sionem prouocasset, nam ad illam, cum quocunque alio,
qui rem acciperet, deuenire integrum est L. 3. C. Commun. rev.
alienat. modo alienatio fiat ante item contestatam L. falso 3.
C. Commun. rev. alienat. L. 1. in f. C. Commun. diuid. quia post li-
tem demum contestatam res fit litigiosa, eoque alienari pro-
hibita. L. f. §. 1. inf. C. de litigiosis. In praxi tamen litigiosi
vitium citius contrahitur, simul ac ad iudicium prouoca-
tum fuerit, quo sum respicit MEVIVS *P. 7. D. 44. n. 4.* Eo-
dem dominii iure, quilibet condominorum partem suam
indiuisam alteri donare potest *L. 12 ff. de donat.* aut legare *L. 5.*
S. 1 ff. de Legat. 1. ac per testamentum de eadem disponere L. 1.
C. Qui test fac poss. obligare itidem L. 1 ff. Commun. diuid. & alii
in feudum dare 11. Feud. 58. §. 2. at seruitutem pro sua parte
rei communii imponere nequit, quia seruitus est indiuidualis.
L. 19 ff. de S.P.R. L. 2 ff. de Seruit. L. pro parte 11. eod. L. viae
17. de seruit. L. usque 19 de usu & habitat. L. stipulationum 2. §. 1.
L. stipulationes 72 pr. de V. O. Illud tantum in quaestione est,
Quod si in extraneum fuerit facta rei communis pro
parte alienatio, an ius protimiseos socio competit? Vi-
detur hoc affirmare MEVIVS *P. 7. D. 205. n. 6.* & alii. Sane
veteri Rom. iure id ius incognitum proslus fuisse infinitae nos-
docent

docent leges Pandectarum. v. L. 43 ff. sam. hercisc. L. 321. ff. Com-
mun. diuid. L. 7. 9. 11. 14. 16. 19. 21. 23. 31. 35. 45. 51. 55. 57. ff. pro socio.
L. 13. ff. de praescript. verb. L. 5. ff. solut. matr. eo quoque perti-
net Plinii locus L. 7. ep. 11. qui agri hereditarii quincuncem sibi
delatum vendiderat. Superest, inquit, ut coheredes aequo animo
ferant, separatim me vendidisse, quod mibi licuit omnino vendere.
Imo ne Diocletiano quidem imperante ius istud obtinuisse
docet L. 3. C. de commun. rer. alienat. Falso tibi persuasum est, ait,
communis praedii portionem pro indiniso, antequam communni diui-
dendo iudicium dicetur, tantum socio, non etiam extraneo posse
distrahi. Et tamen Imperatores VALENT. & THEODO-
SIVS in L. dudum pen. C. de contrah. emt. vendit. mentionem fa-
ciunt legis alicuius, qua proximis & consortibus ius proti-
mleos concederit, quam ipsi iterum abolent & cassant: du-
dum, inquiunt, concessum erat: & iterum expressius adhuc:
superiore lege cassata. Quam dudum vero, lex non ait: ne
que ex eo satis sciri potest, quia vox dudum incertum limi-
tem habet, & vel paucos retro annos saepe denotare solet;
quod ex IAC. GOTHOFREDO docet STRAVCHIVS Le-
xico particul. Iur. voce: dudum. Vnde eruditus demum coniicit
laudatus GOTHOFREDVS in Commentario ad L. 6. C. Theodos.
de Contr. Emt. Constantinum M. huius antiquatae legis auto-
rem forte fuisse, qui exemplo Mosaici iutis id ius protimiseos
in rempubl. quoque Romanam & Christianam inuexerit, &
ex singulari fauore, quo confortes & socios alibi quoque
complectitur, ad hos etiam id protraxerit. Hoc quicquid
sit, ex dictis patet, non diu id ius apud Romanos viguisse.
Vnde de iure quidem Romano sociis seu consortibus proti-
mis in rei communis alienatione optima cum ratione de-
negamus. Iure enim naturali quilibet est rerum suarum
moderator & arbiter: eiuslibet libera alienatio: & hinc ius
retractus eo nomine odiosum, quia hanc libertatem restrin-
git.

git: Cumque apud Romanos ius istud protimiscos obtinuit inter conuicanos *L. vii. C. non licere habitatoribus Metrocomiae &c.* tum in auctione bonorum *L. cum bona 16 ff. de reb. aut. iud. poss.* item ex pacto *L. qui Romae 122. §. coheredes 3. ff. de V.O. L. 16. de pacis. L. 75. de contr. emt. L. 21. §. s. de act. emt.* & in Emphyteusi *L. vlt. C. de Iure Emphyteutico;* nulla tamen vel in Pandectis vel in Codice lex allegari potest, qua sociis seu condoninis id tribuitur. Hinc nobis iura singularia & odiosa extendere nefas. MODESTIN. PISTOR. Vol. 1 conf. 29. n. 4. KILLING de Ganerbiis Disc. 8. n. 109. CARPZOV P. 2. C. 31. def. vlt. vbi praeiudicium adfert. Per Constitutionem tamen Friderici Imperatoris protimisis sociis concessa legitur, quae consuetudinibus locorum in primis Germaniae passim recepta, B. Dn. STRYK de C. C. sect. 3. c. 4. §. 10. quamuis non vniuerse, vt monet STRVV. Ex. 23. th. 55. in fin.

§. XXVII. Quia condominos in communione incidente non pactum continet, non consensus aut tractatus ^{Effectus} particularis ^{III.} habitus, patet ex eodem iure dominii, III) eosdem vel priuata diuisione posse defungi, etiam absque scriptura *L. 2. C. fam. hercisc. L. pen. C. commun. diuid.* IVL. PACIVS Analy. Codicis d. tit. n. 5. Si sic res exitum habere nequeat iudex adeundus, coram quo iterum quilibet pro lubitu & quocunque tempore ad diuisionem prouocare potest, actione communii diuidendo *L. 2. L. fin. ff. commun. diuid.* vel familiae herciscundae: haec enim proprie*iis* competit, qui communem hereditatem possident. Hae autem actiones ratione originis reales sunt *L. 1. ff. commun. diuid.* quia ex condominio oriuntur, iisque condominus generaliter vindicat suam rei communis partem, quam pro indiuiso hactenus cum altero possederat. *L. 4. pr. ff. d. tit.* Hinc est i) si quis rei communis partem suam alienauerit, cum nouo deinde domino esse agendum iudicio communi diuidendo, non cum eo qui

alienauit, nisi propter praestationes personales. MEVIVS
P. 7. Dec. 44. Ulterius inde fluit 2) quod in hac diuisione
 quaelibet inaequalitas, etiam si modica sit, & ad medietatem seu vltra dimidium non pertingat, resarciri debeat.
L. 3. C. Commun. utriusque iudic. & L. 38. ff fam. hercisc. PEREZ. Tit. C. Commun. utriusque iud. n. 4. TULDEN ad eundem
n. 1. MOLINAE ad Consuetud. Paris. tit. 1. §. 33. n. 22. BERLICH. Dec. 146. & GAIL. 2. O. 139. n. 3. & 4.

*Communio
nostra an
quasi con-
tractus?*

§. XXVIII. Diximus communionem nostram incidentem esse speciem dominii, & actionem communii diuidendo, eo quod ex communione oritur, realem esse. Quomodo igitur Imperator in §. 3. & 4. l. de Obl. que quasi ex contr. oriuntur communionem nostram ad quasi contractus referre potuit, a quibus eam differre & nos quoque supra §. XI. innuimus? Scilicet communio proprie est ius in re: sed in solitaria demum rei communis administratione est quasi contractus; nam qui rem communem administrat, ex ipso facto alteri obligatur ad praestationes personales, lucri scil. diuisionem & damni reparationem. Cumque una eademe actione communii diuidendo & rei communis diuisione & praestationes quoque istae personales petantur; hinc est, quod ea a Doctoribus mixta dicitur. Realis quidem, quatenus oritur ex communione seu iure in re, & ad diuisionem tendit: personalis autem, quatenus ex quasi contractu seu solitaria rei communis administratione descendit, & personales praestationes persequitur, quo respectu etiam finita communione iudicium communi diuidendo adhuc obtinet & durat. *L. 6. §. 1. ff. commun. diuid.* Igitur qua personalis est haec actio, ea condominus pro rata repetit omnes prouentus, ex re communi a condomico solo perceptos, omnisque lucri participationem. *L. 3. pr. L. 4. §. 3. L. 6. pr. ff. L. pen. C. d. tit.* Datur eadem ad resarcienda damna dolo vel culpa

culpa condomini data d. L. penult. vt si forte arbores ex communi fundo exciderit, commune quid destruxerit. v. L. 8.
§. 2. L. 10. pr. ibique BRVNNEM. ff. commun. diuid. vel si impenas in rem communem vnum fecerit, ad eas pro rata re-petendas. L. 4. §. 3. L. 14. §. 1. ff. L. 4. C. d. tit.

§. XXIX. Ex dictis, quale sit iudicis officium in his iudiciis diuisoriis facile perspicitur. Sequatur imprimis voluntatem litigantium L. 21. ff. commun. diuid. qui priuata quoque diuisione defungi poterant. Si eorum voluntas in vnum redigi nequeat, iudicis officium arbitrarium est, pro diueritate communionum, & variarum in iis circumstantiarum, in quibus semper aequitatem sectetur. L. pen. C. commun. diuid. Secundum eam, quae diuisionem recipiunt, diuidat. In indiuisibilibus alterum alteri inuito in adjudicatione haud praferat, nisi quis maiorem forte partem in re communi habeat, exemplo rei ex donatione communis. L. 34. C. de donat. ibique BRVNNEM. Quodsi tamen hoc quoque casu alter maius precium obtulerit, is eidem praferendus, vtut maiorem partem habenti CARPZOV. P. 3. C. 15. def. 34. BRVNNEM. Conf. 88. In rebus ex hereditate communibus frater praefertur sorori, ex peculiari favore familiae. MEVIVS P. 2. D. 51. Alias vel res sorti committenda, vel plus licitanti ad-dicenda, etiam extraneo. MEVIVS P. 4. D. 397. n. 3, & 5. vel alternatio quoque concedenda, vt vsusfructus rei alternis annis coheredibus adjudicetur, quod solet dici die Mutschierung. v. BESOLD. in Thesauro pratico sub illa voce. Aut etiam vni rem tradat, qui ceteris annum aliquod persoluat: Aut extraneo locet, qui singulis annuam mercedem pendat, quales modi maxime in feudis, quae diuidi nequeunt, vistati, vt testatur COTHMANN Vol. III. Resp. 14. n. 11. Vol. IV. Resp. 3 n. 149. Quia in re, vt aequalitatem eo exatius obseruet iudex, sequatur iudicium eorum, qui rerum

Iudicis officium in iudiciis diuisoriis.

communium situm, prouentus & alias circumstantias ex longo
terum vsu vel earundem forte possessione & administratione
cognitas & perspectas habent. *L. quisquis de Rescind. Vendit.* WE-
SENBECK Part. 1. Conf. 23. n. 41. COTHMANN Vol. VIII. Resp.
14. n. 10. conf. VLR. ZASIVS L. 2. Conf. 20. n. 47.

§. XXX. Qua personalis est haec actio, iudex quoque ad
praestationes personales condemnet, eoque intuitu iubeat ra-
tiones reddere eos, qui rem communem solitarie administraue-
runt. In iudicio *fam. hercif.* in specie, coheredes conferenda
conferant, & denique separatio bonorum, si diuersae indolis
sint, fiat. His enim expeditis & determinatis demum partes
hereditariae constitui possunt. In *confusione* iudex videat, an
vnius tantum factio aut voluntate ea facta sit; nam tunc, si per
confusionem res deteriorata fit, aequum sane est, ut confun-
dens debeat alteri praestare rei deterioratae premium, & solus
damnum pati. Ill. Dn. THOMASIVS *Not. ad Inst. Tit. de R. D.*
An iudex in hac & similibus causis bonam quoque fidem attendere debeat, controuersum est. Ius Romanum eam neglexit,
ynde ICtos Romanos nonnulli notant. v. HVBERVS *in Prae-*
lebt. ad Inst. Sed praeter rationem, vt videtur. In his enim
modis res communis fit, non propter b. f. aut iustum titulum,
sed propter necessitatem. v. post BACHOV. WISSENBACH.
STRVV. Ex. 41. ts. 31. quia res alium quam communionis exi-
tum habere nequit. Ill. Dn. THOMASIVS *in Scholiis ad Huber.*
Neque etiam statim propter malam fidem quis dominium suae
rei amittit. Vnde m. f. quoque specificatori, nisi animus do-
nandi vel delictum v. gr. furtum concurrat, aestimatio-
nem operarum solui aequum est.

F I N I S.

88 A 6388





28

DISSE^RTAT^O IVRIDICA
DE
**COMMVNIONE
INCIDENTE,**
QVAM,
SVB
PRAESIDIO
IO. FRIDERICI R^AYSER^S/
I. V. D. ET P. P. EXTR.
IN
ALMA LVDOVICIANA,
PVBLICO OPPONENTIVM EXAMINI
SVBMITTIT
AVTOR ET RESPONDENS
WILHELM ELIAS S^HOMMEL/
DICTVS Eysenwerth^s/
DARMSTATTINVS,
AD DIEM
XVII AVGUSTI c^{is} 1500 XIX.

GISSAE,
TYPI^S IOANNIS MULLERI.
B.I.G.